

in Oratione aliqua Inaugurali 11. Aprilis 1616. habita p. 14. usq; 18 idem insequat, & per 13. articulos (nempe de prædestin. de omnipotentia, de lapsu hominis, de persona Christi, de Sacramentis &c.) demonstrare conatur, Calvinianorum & Lutheran. controversias in his 13. articulis esse tantum estructuras (h. e. dogmata quæ fidei fundamentum non impugnant, quæq; affirmare & negare licet.) eosq; in fundamento fidei non dissentire; qui tamen in Iren. p. 242. ait: *opinionēs nostras de carnis Christi ubiqvitate &c. fundamentum fidei cadere gravissimè.*

§. VII.

Quod ipsi cum nostrates *diverſos* negent Theologi, hasq; Controversias de articulis dictis pro ipsis fundamenti capitibus habeant, Paræus in Ireni. p. 3. 4. 335 & in Orat. p. 11. alio modo probare conatur, Calvinianos & Lutheranos in fundamento fidei non dissentire. Potest autem tota ejus dissertatio hoc modo proponi:

Qui consentiunt in capitibus Catecheseos, in fundamento fidei non dissentiunt: Lutherani & Calviniani consentiunt in capitibus Catech. Ergo Luth. & Calv. in fundamento fidei non dissentiunt. Gratias autem merito debemus Paræo singulares, qui respondendi munere ipse functus nos labore hoc sublevaverit. Sic enim scribit in Iren. d. 1. *In his quatuor Capitibus (de Lege DEI de Symbolo Apostolico, de Oratione Dominica & Sacramentis) nostra quidem sententia. Si populariter loquendum sit, fundamentum fidei & salutis Christianæ latissimè extensum consistit.* Ex quibus cum discamus, quodnam Paræo sit fidei fundamentum, nempe populariter loquendo capita Catechetica; sic nos argumentamus: *Si populariter loquendo capita Catechetica sunt fundamentum fidei latissimè extensum,*
Con-